Alexandri Russel, M. D.
& C. R. M. E. S.

DISQUISITIO MEDICA,

Theoretico-practica,

DE

MORBI CAUSA.

EDITIO ALTERA.

Ubi ostenditur Medicinam artem conjecturalem non esse.

Cui subnectitur,

Epistola apologetica,

DE

Arthritide & Nephritide.

Non fingendum aut excogitandum, sed inveniendum quid natura faciat, aut ferat.
Nobiliss. D. Verulam.

EDINBURGI:
In Ædibus THO. RUDDIMANNI, 1719.

MVSEVM
BRITAN
NICVM

Disquisitio Medica,

Theoretico-practica,

DE

MORBI CAUSA.

PROOEMIUM.

1. PHILOSOPHIÆ medicæ necessitatem exactam, ad medicinæ praxin legitimam, præter medicastrum, negat nemo; cujus primas quum teneat Ætiologia, morbi causam hanc, quam callere medicum oportet, indagando innitor.

2. Sanitas à felicitate potissimâ quum proxima sit, eandem læsam redintegrare permagni nostra omnium interesse apud omnes in confesso est; quod ut consequamur haud abesse potest quin imprimis læsionis patefiat causa. Artifex horologio haud certò motum restituet ante detectam quietis causam.

3. Ardua quantumvis res sit hæc, & in statu hoc cæcutiente & opaco, peccaminoso quippe, ad naturæ penetralia, sive recessus intimos haud pateat aditus; omni tamen pede huc nitendum, ut quantum maximum progrediamur: modo vel tantillum moverimus gradum, tempus in cassum non teritur; rerum peritioribus sternitur saltem via, opus qui (favente numine) temporis progressu, quousque fas est, provehant. Qui enim ad res præclaras studia conferunt sua, etiamsi quo spectant, non perveniant, est tamen cur laudentur, etiamsi scopum non attigerint, aufisque excciderint, magna tamen cum sint, favebunt eruditi, modo probi sint ac cordati; *Difficilium* (inquit Tertull.) *facilis est venia. Immerito* (ait Hippocrat. lib. 1. de Diæt, § 1.) *ullus aliquis ipsorum*

ipsorum reprehenditur, quod invenire non potuerint; imo laudandi potius omnes quod investigare conati sint. Et idem lib. de Arte, § 1. *Eorum qui aliquid sciunt inventa calumniari non sane scientiæ votum aut opus videtur, sed proditio magis naturæ suæ, aut artis ignorantia.* Sic etiam Bohnius in Præfatione ad Bellinium, *Quemadmodum invidæ stultitiæ immersus videtur cui nova sola placent, sic stulta invidia agitatur cui omnia recentia sordent. Empirici* (monet clariss. Sylvius) *ad solam experientiam attendentes ritu pecorum eunt, qua itum est, non quà eundum.* Aristot. lib. 1. Ethic. cap. 7. per tempus & paulatim, non per saltum facta esse artium incrementa indicat. *Dies diem docet,* monetque cujuslibet esse addere id quod deest. Eleganter Seneca Epist. 33. *Patet* (inquit) *omnibus veritas, nondum est occupata, multum ex illa etiam futuris relictum est.* Si ab alterius sectæ vestigiis recedere non audeamus, non ante Kalendas græcas perficietur ars. Quam rem egregie (pro suo more) proponit Seneca Epist. cit. *Omnes isti nunquam autores, semper interpretes, sub umbra aliena latent, memoriam in alienis*

enis exercuerunt. Aliud est meminisse, aliud scire. Quantum variorum experimenta ad philosophiam fecerint, cuivis, qui vel leviter eandem à limine salutârit, liquidò constat. Noverint ergo Thrasones scurræque jactabundi me hic memet ceroferarium duntaxat sistere; noverint insuper scientiam nullum habere inimicum præter ignorantem: desinant ideo Momorum grex nugarumque architecti baubari & deblaterare me novas spargere voces, merceisque medicinæ novas nundinari: scientiam, quam capere nequeunt, carpere desistant. *Lippus oculus Solis radios non fert.* Pharmaca saluberrima risu & scommate excipiunt imperiti, ipsi interim incapaces. *Gemmæ preciosissimæ à gallis conculcantur. Mori sunt qui horum morantur morositatem.*

4. Exulet & ista libido procax & scientiis præ omnibus infesta, abdita nimirum rimandi & obvia prætereundi, quo à notioribus ad ignota procedamus, o duce optimâ naturâ viam monstrante; *Qui* (ait Galen. 2. lib. de mot. muscul. cap. 5.) *Evidentibus fidem abrogat, sensûs est expers; qui vero de dubiis prompte pronunciat*

nunciat temerarius est; qui autem propter obscuritatem quæ in his inest, quæ etiam clara sunt & manifesta, suspecta habet, de eorum numero est qui dubitationibus oblectantur; porro qui non modo quæ suspecta habet, verum etiam quæ clara sunt, propter obscuritatem dubiorum studet evertere, extremè fatuus est. Ne igitur sponte nobis sensum adimamus ipsi, neque dubitationis æmuli, aut fatui, aut aliquid ejusmodi quidvis simus, sed quod tum rectum est, tum modestis hominibus convenit, quod quidem evidens est promptè accipiamus, quod autem dubium est per otium quæramus.

5. Pravi moris apud quosdam est ut sua, *i. e.* ea quorum peritiores sunt, aut esse sibi videntur, laudibus efferant ingentibus, etiamsi minus utilia, sive omninò inutilia sint, dum aliena forsan præ omnibus utilissima minuunt, spernunt ac ludibrio habent; prout virtutes ipsas invertit gens humana: *sus sui pulcher, & ambitio avaritiæ nutrix.* Viri indolis hujusmodi Medicos doctos & in libris assiduos apud illiteratos & incautos scurriliter obtrectant, quorum tamen præscripta avidissimè concupiscunt,

cupiscunt, nec minus inscie abutuntur, morborum causas nescium, nec ut sciant operam navant, circumforaneorum artes præferunt, remedia sua ostentant, mentiendo, blandiendo & decipiendo assuescunt, cum octavis sapientum negociantur, socios asciscunt quos cæca rapit nequities, in limina aliena lustrant, ægros aucupantur, insidiantur, & in adversis deserunt, praxin mendicant, & non vocati accedunt, nihilominus tamen sostrum captant, in medicinæ opprobrium, medicorumque dedecus. Estne flebile quod id genus scurræ cordatorum nec non proborum jus in gentis humanæ perniciem invadere audeant!

6. Me nequaquam addico ut opiniones alienas evertam, verum, quum ineptiarum quibus scatent medicorum scripta pleraque, jamdudum pertæsum sit, ut quæ mihi videntur stabiliora (eruditorum pace) proferam, quibus deinceps praxis superstruatur firmior.

Carpere vel noli nostra, vel ede tua.

Dis-

Disquisitio Medica,

DE

MORBI CAUSA.

POSTULATUM I.

1.

Corpus humanum è vasis fluidum ferentibus constructum est.

2. Sanitas est valetudo integra, morbus valetudo læsa: nec displicet descriptio hæc, sanitas τὸ secundum naturam, morbus τὸ præter naturam.

3. Morbi sive valetudinis læsæ causam tractaturus, neutiquam jam procatarcti-

cam intelligo, quam detegere in ægri plerumque, haud in medici officio est: quamque dum scioli & simulatores detexisse præ se ferunt, persæpe se traducunt, & deinceps ex virtutibus ornati fiunt, temeritatis nempe & audaciæ pœnas dant.

4. Causarum procatarcticarum enumeratio quam per res sex non-naturales habemus, quantumvis morbi diagnosin indagando adprimè prosit, redundat tamen & deficit: excretorum læsiones à causis procatarcticis originem capiunt, ac proinde non causæ, ast morbi dicier merentur, quo nomine redundat enumeratio: & luis Venereæ contagium hac in enumeratione non continetur, quo nomine deficit enumeratio.

5. Hinc etiam idiosyncrasiam à vasis oriundam, angulorumq; inflexiones, naturæq; lusus, ut & id genus cuncta, quæ explorationem pariter ac medelam aufugiunt, proscribo.

6. Causa demum quam hic exquiro est interna illa, sive antecedens sit, sive proxima (sive conjunctam appellem) quâ positâ ponitur, quâ & sublata, tollitur morbus: intra causæ hujus cancellos mè-mè coerceo; repertâ enim hâc, ulterius introspicere Medico nil opus est.

PO-

POSTULATUM II.

7. MORBI causa hæc nil aliud est quam proprietatis cujusdam vel vasis vel fluidi læsio.

8. Exigit jam methodus, ut vasorum fluidorumque proprietates investigemus: ast, ne aditum per avia quæramus, principia corporis constitutiva, corporumque proprietates inertes particularumque figuram ac dispositionem viderint philosophi: ubi desinit Physicus, ibi incipit Medicus.

9. Pellantur & hinc hypothesium philosophicarum chymicarumque noemata; elegantes quantumvis sint ancillæ, rimarum tamen plena sunt, huc dum transvehuntur: cuncta enim precaria, & vel manca, vel obscura, vel falsa sunt; quibus diluendis non adeo opus est, suicidii cùm rea sint; nec est animus in hisce, etiamsi non deessent vires, ne actum agerem, ne & negotium mihi facessant frons perfricta & garrulitas, quæ sæpenumerò peritiæ deficientis locum supplent; asseruit olim Cous, lib. de art. *Medicos in dicendo non magnopere exercitatos esse.* Causas etenim

istas immeritò accusatas esse seriò intuentem non latebit: possunt etiam effectus ejusdem causæ esse diversæ. Addito quod rem illustrare per vocabula obscuriora, seu æque obscura, ac est res ipsa, ad quam illustrandum usurpantur, absonum est. En impedimenta medicinæ præcipua.

10. Verumenimvero ubi consistere cogimur inviti, aciemque nostram fugit res, deficiuntque vires post adhibitam severitatem omnimodam, scrutiniumque penitissimum, sagacissimo huic sophi Stagyræi dicto fasces submittere decet, *In difficillimis* (inquit) *& valde abditis in natura satis is fecit qui rem ad id quod esse potest deduxit:* quod meritò locum obtinet, ubi præsertim suffragatur experientia sive τὸ à posteriori.

11. Ast, dum proprietates rerum ipsarum ipsæ manifestæ nobis facem præferunt, cur, quæso, palpantur tenebræ? Opinor equidem unicam, veram, aptam certamque morborum corporis causas investigandi methodum ex ejusdem proprietatibus notis, realibus ac indubitatis petendam esse, ac hinc nec aliunde, temporis progressu, compertum iri spero; dum vero

verò ad occultas, hypotheticas, & relativas confugimus, nil miri quod pro Junone nebulam amplectamur. En ipſum erroris fontem! unde caligo dimanavit iſta omnis, unde & errata ſcaturiunt infinita. Tota igitur huc convertenda eſt mens, huc remiſque veliſque contendendum; ut nimirum ex ſubjecti ipſius affectionibus notis ac evidentibus deducatur cauſa; *Si* (inquit Sydenhamus morbi indolem à poſteriori diſquirens) *hypotheſes ab ipſis rebus factis fluant, ex eis tantum obſervationibus natæ, quas phænomena practica & naturalia ſuggerunt, ſtabiles manent & inconcuſſæ.* Prudenter etiam reprehendit eos D. Baglivius *prax. med. cap.* 7. § 3. qui de ſcientia altera per alterius præcepta legeſque judicant: ſic enim medicinam dialectices legibus adaptare conſueverant veteres: ſic & extraneis immiſtis lugubre polluuntur theologica.

12. Submotis tandem impedimentis, cauſa nempe procatarctica, corporis principiis, hypotheſibus, vocabulis obſcuris, proprietatibus morbum non producentibus, nec producendo conferentibus, nec non illis quæ à proprietatibus actuoſis dependent,

pendent, seu ad actuosas deducibiles sunt, eò revertamur unde deflexit dissertatio.

POSTULATUM III.

13. PROPRIETATES vasorum actuosæ sunt continuitas, cavitas, motus: fluidorum vero proprietates qualitas, quantitas, motus.

14. Proprietatum harum excogitandæ restant jam læsiones; quæ semper & ubique fiunt vel abolitione, vel diminutione, vel auctione, vel depravatione.

POSTULATUM IV.

15. UNDE fluunt vasorum læsiones hæ, continui solutio, dilatatio, motus tardior, crebrior, perversus: fluidorum vero læsiones, tenuitas, crassities, copia, paucitas, celeritas, tarditas.

16. Compendio agit Baglivius Romanus ille eruditissimus, solidorum tensioni & flacciditati, fluidorum coagulationi & dissolutioni morborum omnium originem attribuens: compendiosius tamen Methodici culpam omnem in strictum & laxum conferentes:

conferentes : ast, quoniam compendia plerumque dispendia sunt, vocabula priora rem clariùs saltem denotantia præstare sum ratus: præterea hinc constat systemata hæc admodum claudicare.

17. Si quæ existant vasorum, fluidorumve proprietates actuosæ aliæ ab his diversæ, sive læsiones aliæ ad prædictas non deducibiles, mihi hactenus incompertæ sunt. Pori ad vasa manifestò deducibiles sunt. Ea quæ obstructioni vulgò attribuuntur, vel à fluidorum crassitie, vel à vasorum constrictione fluunt, quod marte facili levique negotio ostendere est: fermentatio vitiosa proprietates duntaxat lædit, quæ & ipsa proprietatibus læsis originem debuerat, ergo, cum læsio posterior priori accepta refertur, sublatâ proprietatum læsione, tollitur fermentatio vitiosa, & consequenter morbus qui fermentationi vitiosæ deberi dicebatur.

18. Si denique sub proprietatibus hisce comprehendantur cæteræ universæ, meritò medicas has, discriminis gratia, nuncupare licet: & si proprietatum harum læsiones universæ ad læsiones hasce enumeratas deducibiles sint (quod opinari tanti-

sper

sper liceat dum certiores fiamus) cæteras proprietates inertes, proprietatumve læsiones recensere supervacaneum certè foret, negotiumque turbulentum: & cum nec incertæ nec obscuræ sint proprietates hæ, neque earundem læsiones, in portu jam navigamus, hic tandem moras trahere juvat, fugamque ad proprietates occultas dubiasve reprimere decet.

COROLLARIUM I.

19. EX vasorum fluidorumque varietate, & eorundem læsionibus, & læsionum gradu vario, & læsionibus inter se diversimodé complicatis morborum varietas emanat omnis.

20. Non ego tamen is sum qui causam etiam à posteriori eruendam negem. Ut reperta morbi causa medicamenti viribus detegendis ancillatur, sic medicamenti vires detectæ morbi causæ reperiendæ inserviunt: ast horum vires sæpe perperam denominantur ob morborum æquivocationem, causasque falsas, dum ab autoribus à posteriori accersuntur: quid sentiendum de

de camphora? Intemperiei hepatis frigidæ medetur, ergo calida est: Venerem & arcet, & eo nomine frigida, salacitatis enim causa calida habetur.

21. Nec specificorum existentiam negatum eo, cum medicamina omnia non iisdem in locis suas exerunt vires; tum demum morbum debellant cum dissoluta, seu integumentis depositis in parte affecta operantur.

22. Autumem ipsus ea quæ naturæ adscripserunt prisci proprietatibus hisce prædictis adscribenda; ceu ea quæ temperamento adscripserunt, læsionibus hisce prædictis adscribenda: quod (cum neotericis eruditioribus) intemperiem, sive morbum sientem, nominare malim; dedecet enim privativum nomine positivo gaudere; nam per Petri temperamentum denotare volebant Petri idiosyncrasiam, *i. e.* aliquid Petro peculiare, secundum vel vasa, vel fluida, & cum peculiare illud sit quædam a recto aberratio absque functionis læsione facta, necessariò statuendum est, peculiare illud esse proprietatis cujusdam læsionem, sed nondum morbum; in aberratione etenim hac consistit nostri mortalitas. Nemo perfectâ fruitur sanitate,

neque datur temperamentum ad justitiam; hinc universis semel calcanda via lethi: & quoniam intemperies quæque ingenii sui morbos producit, unus non vitæ cunctis exitiique modus: hinc etiam derivanda ebrietatis specierum varietas.

23. Cum apparentiæ eædem a causis fluant diversis, quid sit quod medicaturum investigare decet: exemplo sit obstructio quævis, fluxusve quivis, mutatis mutandis: illa enim aliquando fluidis incrassatis debetur, vasis naturaliter se habentibus; quandoque etiam vasis angustatis, fluidis naturaliter se habentibus: hic itidem fluidis attenuatis aliquando debetur, vasis naturaliter se habentibus; & alias vasis dilatatis, fluidis naturaliter se habentibus: & sic de cæteris. Iccirco sin pro causarum varietate varietur medendi methodus, errante Medico peribit æger: cui investigationi maximopere inservit (me judice) sanguinis inspectio, cognitâ seri ad sanguinem proportione debitâ: ut & tensionem sive dilatationem monstrat dolor, actualis cum sit ruptio, ruptionisve periculum.

24. Serio & animadvertendum est proprietates hasce læsas a se invicem affici, prout

prout accuratissime observavit Etmullerus, *Observabilis est* (inquit) *circulus, ita ut unius partis vitium affricetur alteri, & hujus hinc nata læsio illud prius erratum reddit deterius; hinc duplex subjecti ratio, subjectum inhæsionis & subjectum radicationis*; est & hic circulus, movetur sanguis à spirituum influxu, & à vasorum motu; & generantur spiritus è sanguine ut & ab eodem moventur vasa, qui motus & perficitur post spirituum influxum finitum, quod planè demonstrant morticinio damnatorum corda, quæ semihoram & ultra post eviscerationem motum continuant suum: quod vasorum motum originarium asserendo sufficere videtur. Quæ meditatio ad opificem summum, motorem primum, nostrique conservatorem benignissimum rectà manuducit. O summam Entis summi bonitatem pariter ac sapientiam immensam in hac nostrûm fabrica mirificè conspicuas! quas accuratè admodum demonstrat vir eruditissimus D. Georgius Cheyne, M. D. lib. cui titulus, *The Philosophical Principles of natural Religion*, vir de Theologis, Medicis & Philosophis optimè certè meritus.

CORO-

COROLLARIUM II.

25. LÆSIONES sua indicant remedia, *v. g.* Vasorum continui solutio auxilia indicat agglutinantia, dilatatio constringentia, constrictio dilatantia, motus crebrior vasorum motum retardantia, tardior accelerantia, perversus restituentia: fluidorum tenuitas auxilia indicat incrassantia, crassities attenuantia, nimium minuentia, paucitas augentia, tarditas fluidorum motum accelerantia, velocitas retardantia.

26. Dari medicamenta viribus his imbuta agnoscunt universi, ac ferè nusquam dissentiunt Medici.

27. Cum ergo morbi subjectum, indicans, indicatum & remedii materia sint Medicis explorata, medicina sive ars medico firma stat talo: unde fluit

COROLLARIUM III.

MEDICINA principiis nititur scientificis ac indubitatis.

COROLLARIUM IV.

MEDICINA non est ars conjecturalis, Q. E. D.

28. Ut occupem quæ mussitare solent scioli, Medici hominem immortalem se posse reddere neutiquam profitentur: nec ars in singularibus versatur, sed in universalibus subsistit. Artifices individua singularia tractant: itaque cum hi vel ob imperitiam, vel ob morbi magnitudinem vel obscuritatem, vel ob rem celatam vel perperam narratam, vel quoniam latitat contra indicans, unde Poetæ illud, *Interdum doctâ plus valet arte malum*, vel ob auxiliorum defectum sive absentiam, vel ægri inobedientiam, aut debilitatem, vel ingenii hebetudinem, vel ob pharmacopœorum succedanea inepta, vel fallacias, desidiamve, vel ob adstantium errata, vel ob invidorum & avarorum insinuationes insidiosas, (mentiendo victum captare prudentiæ nonnullorum est,) & ob innumera alia à fine aberrent, ars immeritò certè in universum conjecturalis dicitur: nonnunquam & convalescentiam (ne retribuant)

tribuant) turpiter ingrati negant ægri: addito quod (pace divinâ) fine etiam nonnunquam excidit morum doctrina.

29. Nec opinantur Medici prognoses infallibiles evasuras; certissimum est Medicum morbi exitum longè certius prævidere, quam medicinæ nescium; ast Medici duntaxat est remedia medendo apta præscribere, non autem eventum prædicere; Medicus qui artis lege operatus est munere suo functus est.

30. Medicamentorum evacuantium quantitas in comperto est; sic alterantium datur quantum ventriculus absque molestia fert.

31. Distinguendum inter medicinam & Medicum; demus Medicos conjecturis quandoque artificiosis uti, ut cum fatuis, mutis & infantibus, ubi obtinet illud, *Præstat anceps remedium quam nullum*, omninò tamen perperam hic arti medicæ adscribitur quod Medicis vel ægrotantium infirmitati tribuendum est.

32. Distinguendum etiam inter Medicos & medicastros, quos posteriores puros putos conjectores esse semper & ubique verissimum est: pro doctrina agyrtarum technas meditantur.

33. Con-

33. Convicium hoc maximè lethiferum est, unde enim infert vulgus Medicos omnes temerè & sine consilio ullo medicinam experiri; unde quibusdam sordent remedia, aliis Medicos & medicastros susque deque habentibus, & exinde emergit medicastrorum turba numerosa secundum versus veteres;

Jactant se medicos, quivis idiota, sacerdos,
Judæus, monachus, histrio, rasor, anus,
Miles, mercator, cerdo, nutrix, & arator,
Lamia, decoctor, pharmacopola, magus.

Flendum est inter hos reperiri qui circa rem momenti maximi versantur: quid hic illis negotii est? avocat à rebus gerendis: meminisse debent veteris Laconismi, *Hoc age*, nec, ut vulgo sapiant, de corio humano lusitare licet, cum interim rerum suarum satagunt. Quod perinde absurdum est tanquam si calcearium indumentis suendis, sive sartorem calceis conficiendis adhiberemus: & (quod omnem superat stuporem) mulierculæ adstantes sua non rarò Medico clam ingerunt, quo pacto perturbatur praxis, & impeditur medicinæ profectus:

profectus: si convaluerit æger tum titivillitia sua rem perfeciſſe jactitant; quod si intereat, culpa in Medicum transfertur. Sic simulatores hic & nunc jactant se arcana lithontriptica invenisse, vesicæ renumve calculos confestim scilicet, cæteris illæsis, liquefactura: alphabetarius nempe dialecticen bonis avibus docere vult, *Strepitum edit anser inter olores,* & *inter cæcos regnat strabo:* sic enim impostores effrontes credulitate malè sanâ pascuntur. Medicastrorum quidam minus prudentibus verba dantes, non verentur audacter asserere, se malo huic (etiamsi chronico & permagno) intra triduum mederi potuisse, & revera sæpenumero bene prospereque procedit hoc operis ipsis, ægrum scilicet pariter ac ægritudinem ablegando. Quidam etiam adeo effrontes sunt ut ægros incusent quod rem ipsis non mandaverint: sic nefas est grande artis ministros nostra sibi sane inaccessa inuncare, dum suorum satis est superque; Medicorum est expiscari morbi diagnosin, causam, indicantia, indicata, contraindicantia, materiam medicam, medendi methodum, administrandique tempus: chirurgorum instrumenta

ac

ac remedia ritè tractare & applicare; Pharmacopœorum verò simplicia legitimè deligere & præparare, ut & composita miscere prout artis est. Estne abundè alterum efficere? *Id satius est quod satis est.* Certè errorem hunc ægris eripere est & æquum & necessarium; pariter ac ignaris ostendere medicinæ doctorum doctrinam laboriosam, dignitatem atque jus peculiare, Pharmacopœis foret emolumento nec non decori, ægrisque saluti: quibus secus se gerentibus contingent damnum dedecusque, nam crimini capitali obnoxii sunt, & in jus euntes causâ cadunt: nam sordidum est & fraudulentum cuncta arripiendo coryphæum spoliare; dum provinciam triplicem suscipiunt, quid Medico supereſt? Præterea apud naris emunctæ viros risui habentur, ac ludibrio fiunt: mores isti omninò dedocendi, ambitionem, avaritiam, nec non ignorantiam coarguentes; est inter victus institutorem & coquum discriminis multum. *Syrus ergo cum non sis ne Syrissa. Quod tibi fieri non vis, alteri ne feceris.* Tibi tua serva, mihi mea relinque. Nequaquam auscultandum est commentis vestris ipsorum philautis, nec malignorum

malevolis, neque blanditiis deliriisque turbæ stolidæ incultæ plebis. Sua agentibus non desunt Dii: colores furtivi in solidum exuendi sunt.

34. Nihilominus non diffitendum est medicinam esse artem longe omnium difficillimam, ob ægrorum temperamenta varia, ætates, sexus, vivendi modos, gustus, climata, aeris constitutiones, causas inter se multifariam complicatas, & innumera alia superquam quæ dixeram ad morbos producendos fovendosque conferentia.

35. Verumtamen inter scientiam absolutam omnibusque numeris perfectam & conjecturalem dari cognitionem quandam mediam concedunt universi.

36. Sed antequam manum de tabula demoveam, pharmacopœiarum compilatoribus cautionem hanc trado; licet earum præscripta à morbo simplici denominantur, sæpissimè tamen è farinæ variæ simplicibus conflantur. Addito quod perraro occurrant morbi simplices, sæpius longè compositi: unde Medicum indicantia, indicata, & simplicium qualitates ad unguem pensitare oportet, ut contraindicata

cata amoveat. Verumtamen non rarò fit ut morbi revera simplices complicati videantur: quommodo (quæso) valebunt quibus theoria deridiculo est, in utrovis hoc rerum statu provinciam administrare? Agedum Thraso, sugillationes clancularię tuæ mendaci splendebunt fuco: vel adhuc, quomodo se parabit Medicaster ut icterico mictu cruento laboranti medeatur? Hæc aliaque infinita solis arte Apollineâ potentibus illucescunt, & talia adipiscendi potestas Empiricis erit quo die Orcus mortuos ab Acheronte demiserit.

37. Acriter etiam reprehendendi sunt Pharmacopœi qui agyrtarum inventa vendunt, atque vecors est Medicus qui ea præscribit quorum ingredientia nescit. Agyrtarum schedulæ sua verbis exaggerant, mirisque prædicant laudibus, quasi morbis quorum causæ ex diametro distant medendo paria sint: multo denique turpius fit ab his qui posthabitis studio, probitate & prudentia, rebus quippe sterilibus & effætis, fucum & fallacias substituunt, instrumenta nempe aurea, parabiliora, genioque suo gratiora; probitas enim fæcis infimæ ac fungorum est: quorum quidam,

ut cum sanctis negotientur, sanctitatem simulant; quo jure lucellum immenso parantes pretio se miseri circumveniunt: nec desunt qui, ut periti æstimentur Ἀθείαν affectant, calumnioso huic diverbio indormientes, ubi tres Medici duo Athei: ex opposito fieri non potest ut qui medicinam callet, idem sit Atheus; vereor ego ne praxis hujusmodi in nervum erumpat. Opifici summo sit laus in sempiternum.

En Tabulam.

TABULA MEDICA Ætiologico-practica.

Morbi causa est vasis vel fluidi proprietas læsa.

Vasorum proprietates actuosæ

- Continuitas, — Quarum Læsiones: Continui solutio — Quæ indicant: Agglutinantia.
- Cavitas — Quarum Læsiones: Dilatatio, Constrictio — Quæ indicant: Constringentia, Dilatantia.
- Motus — Quarum Læsiones: Motus Crebrior, Tardior, Perversus — Quæ indicant: Vasorum motum Retardantia, Accelerantia, Restituentia.

Fluidorum proprietates actuosæ,

- Qualitas — Quarum Læsiones: Tenuitas, Crassities — Quæ indicant, Incrassantia, Attenuantia.
- Quantitas — Quarum Læsiones: Nimium, Paucitas — Quæ indicant: Minuentia, Augentia.
- Motus — Quarum Læsiones: Tarditas, Velocitas — Quæ indicant: Fluidorum motum Accelerantia, Retardantia.

Unde liquet medicinam principiis niti scientificis ac indubitatis; ergo medicina non est ars conjecturalis, *Q: E. D.*

Epiſtola Apologetica,

DE

Arthritide & Nephritide.

Amice perdilecte,

1. TIBI medendi formulas ac methodum adverſus arthritidem nephritidemque roganti præſcribo, neutiquam arcana, nedum medelam inſtantaneam conſummatamve mihi arrogans; verum quoniam auſcultando medendi methodo, & applicationi tempeſtivæ ad ordinem ad te mittendum, dolorem lenitum, paroxyſmum abbreviatum, relapſumque procraſtinatum iri ſpes me tenet magna: quæ modo fiant, morbi hi deinceps nequaquam Medicorum opprobria denominandi ſunt. Quod convicium vel adminiſtrationi intempeſtivæ, ſeu methodo præpoſteræ, ſive ægrotantium impatientiæ, parſimoniæve acceptum referendum eſt: quid, quæſo, valent opes? præterquam vitam & valetudinem ſalvas præſtare.

2. Ut

2. Ut ars medica ardua est admodum, sic morbus hic uterque hic & nunc refractarius in aliquod tempus est, neuter tamen propterea insanabilis dicendus, cæteroquin idem argumento eodem de morborum plerisque sentiendum est.

3. Nec stigmate notandi sunt hi, quoniam quandoque recurrunt; Medicus enim malo mederi merito dicitur, etiamsi ægrum haud securum præstiterit ne unquam redeat malum istud.

4. Minime mirum est Medicos minus præcinctos esse ad morborum horum medelam in eundum, quippe quod rarius de hisce consilium rogentur.

5. Dum methodon præposteram commemoro Empiricorum schedulas venales, procaces, nec non insulsas vehementer fastidio, qui institutionum medicarum ignari nusquam advertunt morborum periodos varias remedia postulare diversa, unde a *carceribus* (ut aiunt) *ad metam* medicamentum exhibent idem.

6. Ita etiam ex ætiologiæ ignorantia panaceas suas absurde prorsus laudant, imo in morborum medelam quorum causæ contrariæ omnino sunt, collyrio nempe uno omnibus mederi inepte laborant.

7. Adhæc nulla morbi ullius ferme existit medela sine exceptione universalis, ut remedii mutationem nullam & nusquam postulet, æquabilem scilicet ægri circumstantiis variis ætatis,

tatis, sexus, temperamenti, consuetudinis, climatis, diætæ, morbi symptomatis, &c. quæ mutationes e philosophia medica petendæ sunt.

8. Præterea nullum datur alimentum universis ac singulis indiscriminatim aptum & æquabile, nam mortalium nemo existit fluida vasaque quæque illæsus; nec datur alimentum ullum quod nullam e læsionibus in disquisitione nostra enumeratis intendat; alimenta enim singula pariter ac medicamenta singula suis prædita sunt qualitatibus: quæ omnia ex disquisitione nostra liquido patescunt.

9. Nil ideo miri quod Empiricorum catholicis vanis ac futilibus freti, hisce non perspectis spe frustrentur, morbosque sanabiles immedicabiles pronuncient.

10. Tui gratia hæc in pauca contuli, & si quid præterea penes me situm sit quod in rem vestram siet, me certiorem fac, &

Optatis potiere tuis, ———
——— *nullam patiere repulsam.*

Salutem utramque tibi apprecatur,

Mi præcarissime,

Elgini, Prid. Id. Junii, 1718.

MVSEVM BRITANNICVM

tuissimus,

ALEX. RUSSEL.